e-codices

sapidè, & molliter ab omni curâ liber requiescat &
dormiat, & longissimos trahat roncorum susurros, qui
modò vix spirare quiverat, nunc extendit pedem assiduo
itinerum cursu defatigatum, nunc expandit ~~manus~~, et
ad cœlum, quasi gratias habiturus, elevat ~~m~~ manus gravis=
simis antea ponderibus ad ima depressas, iam totum
commovet corpus, quod modò immensis laborum molibus
enervatum ægre sustinere quiverat, & postquam placi=
dissimo, diuturnoque pro libitu indulsit somno, viribusque
iam convalescens è strato surrexit, totusque ab hesterno
mutatus in alterum virum se in pedes stiterit, en salva
sunt omnia, currit velox, salit agilis, canit iucundus,
comedit lætus, bibit quietus +, disponit ~~pr~~ sapiens, (+ invenit pru= dens.)
persolvit providus, omneque diei tempus peragit in sum=
mo lætitiæ felicitatisque gradu. Labores qualescunque duros
& asperos fortiter constanterque sustinet. E diverso
autem ponite vobis ob oculos hominem quempiam, cui sive
exstimulans gravis negotii cura, sive altissimi vehemen=
tia caloris, vel strati asperitas, vel quod omnem miseriam

License: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. f.%20357r – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/en/zbz/D0147/f.%20357r)